



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. V. Argumenta contendentia actum externum aliquid bonitatis &
malitiæ addere interno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

III. Dices: sicut actus externus primario prohibetur, ita & precipitur: laudantur etiam frequenter in Scriptura actus boni externi, ergo eodem modo sunt primario boni, sicut mali. Respondetur negando consequentiam: ratio enim cur actus externus primario precipitur, est quia lex humana non tendit in modum, quo actio interior fit, sed solum actum externum precipit quoad substantiam: unde licet sit conformis precepto, hoc tamen non sufficit ut sit formaliter bonus, sed ad summum est bonus materialiter: at vero ut sit malus, sufficit quod sit difformis precepto, cum voluntas legislatoris exigit ut sit ejus mandato conformis.

IV. Ad illud de laude, in primis dico laudari quidem actus bonos in genere, ut eleemosynam &c. hoc autem solum arguit hujusmodi opera esse bona, non tamen primario bona, nec primario laudari. Deinde laudantur opera externa eleemosynae &c. ut homines ad illa frequentius exercenda excitentur, haec etenim non sunt plerumque sine actibus bonis internis, imo hi ut plurimum sunt illorum cause. Si quando autem opera externa, alioqui bona, procedant ab actu interno non bono, reprehenduntur in Scriptura, per quod innuit, ubicumque laudat opera externa bona, id fieri intuitu actus interni honesti, quem tunc supponit operantem habere. Imo hoc interdum expressè requirit Scriptura: sic Matthaei decimo laudatur, non praecise qui dat eleemosynam, sed qui dat calicem aquae frigidae in nomine discipuli, item Matthaei sexto hortatur Christus ad jejunium & eleemosynam, non quomodocumque, sed ut Pater videat in abscondito: ubi, & alibi saepe clare innuitur, ad hoc ut opus externum sit bonum, requiri ut recta intentione fiat, sicque illud in se non esse primario bonum, sed bonitatem hoc modo haurire ab interno.

Bona externa saepe laudantur in Scriptura ratione interiore.

SECTIO QUARTA.

Utrum actus externus quidquam bonitatis aut malitiae addat interno.

I. Status praesens diffinitio proponitur. **V**T res haec clarius intelligatur, ponamus duos homines omnino inter se aequales, quorum uterque habet absolutam voluntatem opus aliquod bonum exercendi, jejunandi exempli gratia, quod alter praestat, alter morbo aut alia ratione impeditus praestare nequit: in hoc ergo casu quaerimus, utrum is qui actu jejunat plus apud Deum mereatur quam ille qui non jejunat, vel an par sit meritum utriusque: idem e contrario est de actu externo malo, & demerito.

II. Dicendum cum communi Theologorum sententia contra Scotum (licet multi velint eum loqui de bonitate solum & malitia Metaphysica) actum externum nihil bonitatis aut malitiae addere interno, vel quod eodem recidit, nihil imputabilitatis in ordine ad praemium vel poenam, seu ad meritum aut demeritum: ita Vasquez, hic Disputatione septuagesima-sexta, Coninck Disputatione tertia dub. 7. & alii, estque expressa mens sancti Thomae hic quaestione vigesima, artic. 4. Idem docet S. Bonaventura in 2. distinctione 42. articulo 1. q. 2. Aegidius quaest. prima, art. primo, & dist. 40. quaest. prima, art. secundo. Richardus Distinct. 40.

art. 1. q. 4. & Dist. 42. q. 2. Gabriel Dist. 42. art. 2. Gregorius ibidem, q. ultima, quod etiam aperte tradere videtur S. Augustinus, & alii ex sanctis Patribus.

Quod autem in conclusione diximus intelligi debet actum externum non addere bonitatem aut malitiam in ordine ad meritum ac demeritum formaliter; occasionaliter enim frequenter addit, cum sit occasio, ut actus internus intensior subinde fit ac diuturnior, ex quo consequenter augetur meritum, & etiam demeritum: habet item adjunctum nonnunquam bonum exemplum, & scandalum, aliaque hujusmodi, quae sine dubio aliquo modo, saltem indirecte & occasionaliter conducunt ad bonitatem & malitiam moralem actus interni augendam.

Ratio unica & sufficiens conclusionis est; quidquid namque auget bonitatem aut malitiam actus in ordine ad meritum & demeritum, liberum sit oportet, debet siquidem esse imputabile ad praemium vel poenam, quale, ut ipso naturae lumine constat, est illud solum quod est in potestate operantis: sed actus externus non addit novam libertatem interno, cum liber sit participative tantum & extrinsece, libertate scilicet desumpta ab actu interno, quo actu interno posito, non est in hominis potestate, ut non sequatur actus externus: licet ergo Physice bonitatem aliquam aut malitiam addat actui interno, quatenus adjicit aliquid, quod deceat vel dedecet naturam rationalem, non tamen auget imputabilitatem ad praemium vel poenam, cum non augeat libertatem.

Confirmatur: Ponamus duos homines, Parisius alterum, alterum Constantinopoli, quorum uterque habet absolutam & aequalem volitionem hominem occidendi, quod alter praestat, alter divinitus impeditur ne id quod intendit faciat: in quoniam primus gravius peccat, quam secundus? tota enim culpa consistit in actu interno, quo supposito neuter abstinere ab opere externo potuisset, nisi divinitus fuisset impeditus; ergo aequale est utriusque peccatum.

Hoc tamen de augmento meriti & demeriti intelligitur, ubi nulla omnino est nova libertas: si enim quando voluntas actum aliquem internum imperat, non ita cum quoad omnes circumstantias determinet quin relinquat aliquam indifferentiam, vel quoad tempus vel modum, aut intensiorem actus, & similia, non tollitur quo minus actus imperatus augere possit meritum vel demeritum imperantis; cum novam aliquam eidem superaddat libertatem.

SECTIO QUINTA.

Argumenta contententia actum externum aliquid bonitatis & malitiae addere interno.

OBIECTES primo si actus externus nihil addat valoris & dignitatis moralis interno, sequitur eum, qui vellet dare eleemosynam infinitam, habiturum meritum infinitum, quod tamen parum videtur probabile: sequela probatur: qui enim dare vellet unum aureum haberet meritum ut unum; ergo plus haberet volens dare duos; ergo tandem qui dare vellet infinitos, haberet meritum infinitum.

At sane

III. Occasionaliter tamen actus externus auget saepe tam bonitatem quam malitiam interni.

IV. Quicquid auget bonitatem & malitiam debet esse liberum.

V. Vbi aequalis libertas, aequalis etiam est bonitas vel malitia.

VI. Actus imperatus internum auget meritum vel demeritum imperantis.

I. Obj. Hinc fit, qui cum qui intendit dare eleemosynam infinitam, habere meritum infinitum.

II. Non magis sequitur ex uostrâ sententiâ meritum illud futurum infinitum, quam ex contrariâ.

At sanè quidquid sit de rei veritate, de qua postea, non video quo modo hoc sequatur magis, quam si actus externus addat aliquid interno; nec enim credo quemquam dicturum, si quis possideret (quod non implicat diuinitus) rem infinitam, & infinitos aureos, & eos omnes alteri de facto simul daret, illum actum necessariò fore infinitum; sicut namque unico actu cognoscere infinita non arguit infinitatem in actu, quemadmodum nec clarè videre aut amare objectum simpliciter infinitum, nempe Deum, ita nec eum arguit vel le dare aut etiam dare eleemosynam infinitam. Quare si actus externus simul cum interno non facit meritum infinitum, quomodo illud faciet solus internus.

III. Actus quo quis dare vellet eleemosynam finitam potest esse perfectior actu, quo alius vellet dare infinitam.

Ad hoc ergo sicut ad alia argumenta calculatoria dici potest, solum probare actum illum, quo quis vellet dare eleemosynam infinitam, perfectiorem fore ceteris paribus, & per se loquendo omni alio actu, quo quis dare vellet eleemosynam finitam. Dixi per se loquendo; existimo enim non esse improbable, sicut actus quo quis dare vellet exiguam eleemosynam, perfectior & magis meritorius esse potest alio actu, quo alter vellet dare magnam, ita & posse ratione intensiõis, aut alterius circumstantiæ actum, quo quis dare vellet eleemosynam finitam, esse vel æquè vel magis meritorium actu quo alius vellet dare infinitam.

IV. Voluntas dandi eleemosynam sex pauperibus non est necessariò perfectior voluntate dandi eleemosynam uni.

Unde ulterius existimo voluntatem dandi eleemosynam sex pauperibus, non esse necessariò sextuplo perfectiorem actu quo dare quis vellet eleemosynam proportionatam uni, nec semper meritum eius erit sexies majus: si tamen sex actibus distinctis, quorum singuli forent in perfectione æquales illi, quo eleemosynam largiretur uni, sex illis hominibus eam eleemosynam daret, meritum esset sextuplo majus. Cujus ratio est quòd bonitas & præstantia actus non desumatur adæquatè à solo objecto, sed à circumstantiis libertatis, intensiõis &c. Unde ex solâ multiplicatione objecti non sequitur multiplicari bonitatem actus, sed multiplicari debet libertas, & alia, alioqui actus in perfectione non crescet perfectione Arithmetica, sed ad summum Geometricâ.

V. Actus internus & externus habet malitiam physicè, non moraliter distinctas.

Objicies secundò: actus externus malus aliquid malitiæ addit interno, ergo & bonus aliquid addit bonitatis: antecedens patet, internus enim & externus prohibentur præceptis diversis, ergo habent malitias diversas. Respondetur habere quidem eos malitias Physicè vel Metaphysicè distinctas, non tamen moraliter, seu in ordine ad vituperium, & imputabilitatem ad pœnam, cum non sit novum demeritum. Ad illud de diversis præceptis, dico, ipso facto quod prohibetur actus externus, prohiberi internum, cum ille consistere sine hoc omninò nequeat: ne tamen vulgus erraret, existimando prohiberi solos actus externos, non internos, duo de illis adjecit Deus præcepta. Deinde sepe homines peccant interius, quando non prorumpunt ad actus externos: quare expediebat ut actus interni peculiariter & per se prohiberentur.

Cur prohibeantur diversis præceptis.

SECTIO SEXTA.

Solvitur aliud argumentum circa actum externum & internum: Vbi an voluntas sola alicujus rei sit æqualis factò.

OBJICIES Tertio: voluntatem solam non tantum reputari ac factum, alioqui is qui cuperet tantum amare Deum, quantum cum maximo quisque Sanctorum amat in cælo, foret ei in merito æqualis. Confirmatur: nam qui solum desiderat mori pro Christo, non tantum habebit gratiæ quantum alius, qui vitam actu pro eo, & sanguinem profundit. Præterea Doctoribus peculiare datur in cælo præmium, seu laureola, quæ aliis, qui actu non docuerunt, non conceditur.

I. Obj. Siqui enim, qui cupit mori pro Christo, tantum meretur is qui actu pro eo moritur.

Ad argumentum respondetur, aliud esse de actu externo elicitò, aliud de interno, hic enim novam habet libertatem & honestatem propriam, diversam à solo illius desiderio, sicque sine dubio amor Dei est perfectior, & majoris meriti quam solum amoris illius desiderium: at verò actus externus solus nihil planè, moraliter loquendo, superaddit interno.

II. Novus actus internus elicitus semper augeat meritum.

Ad illud de Martyrio, dico cum communi sententiâ Doctorum, Martyrium actu susceptum particularem conferre gratiam supra actum internum, & hoc peculiare esse Martyrii privilegium, quod etiam tollit peccatum originale, ut nonnullis contigit ex Sanctis illis Innocentibus, ab Herode pro Christo interfecit. Præterea si quis in peccato mortali existens habeat de illo attritionem, & hoc modo in odium religionis aut fidei occidatur, consequetur gratiam, & peccati illius remissionem; hoc tamen specialiter concessum est à Christo Martyrio, quòd scilicet gratiam conferat ex opere quasi operato, sicque non eo sensu, quo hic loquimur nempe meritorie.

III. Singulare privilegium est Martyrii, ut gratiam augeat ex opere quasi operato, non tamen hoc facit meritorie.

De laureolis Doctorum, quæ iis tantum dari censentur, qui actu docuerunt, major est difficultas: dici tamen potest, eas non propter actus externos præcisè dari, sed propter actus internos consummatos, qui moraliter loquendo sunt diversæ rationis ab actibus internis non consummatiss. Actus verò interni non consummati cujuscumque rationis fuerint, si sint æquè perfecti, habebunt tantum præmium simpliciter loquendo, seu essentialiter, quantum actus consummati, licet non eiusdem fortè rationis: unde semper salvatur, ratione actus externi præcisè, præmium non esse majus. Quoad laureolam autem dicunt multi eam non semper dari ob merita, cum S. Thomas q. 96. supplen. art. 5. & alii affirmant infantes cum integritate carnis defunctos, aliquam virginitatis laureolam obtinere.

IV. Laureola Doctorum non dantur merè propter actus externos.